totius Interitus consultatio conciperetur, quod expe-
dendum ~~expit~~ impressor vir ordinis senatorij,
cuius nomen me fugit. De illo igitur, ut
inquisitionem per famulum tuum instituas,
etiam atque etiam obsecro. Insuper audio nunc
multa apud vos excudi, pijs in confirmationem,
quae et ipsa pro pecunia mea mihi mitti cupio.
Vale vir amplissime, et meam importunitatem
boni consule, imo responso aliquo consolatorio
me satis miserum in Christo consolare. Ahenemon-
tani, Anno 1549. Die 9. Martij
Item exhibeo simul tuo, et aliorum iudicio libellum
meum de Cruce, num prelo dignum sit, nec ne,
quod ubi indignum iudicaveritis remittite.

T. Erasmus Sarcerius.

~~[illegible]~~
~~[illegible]~~

Optimo ~~viro~~ et vere in Christo reverendo viro
Dno Nicolao Amsdorffio Ecclesie Numburgensis
Episcopo dno suo et amico ac fautori Charissimo.

S. P. in Christo unica nostra et vera salute. Optime mi
pater ac Episcope Reverende vere in Christo, Non po-
tui committere, quin vestrae dignitati scriberem vel
ex tempore, postquam Apothecarius nostri principis, civis
Vinariensis, sese ad vos nuntium habere signifi-
caverit. Volui et vestram Reverentiam scire,
me nunc hic in aula opt: et pij principis Baroni-
mi medicum agere. Et animadverto hactenus
illos ipsos principes constanter tueri ac confiteri verbum
dei syncerum. Quamvis enim, ut plerique
possint amicissimum Caesarem, pecunias illi colligunt,
missis iam legatis pro capitulatione delibranda,
Tamen illud inprimis cavemus, ne quid consentiatur
in Interim. Nisi quod Coburgensis civitas per
suum syndicum Islebij Interimisticas genterum

receperunt omnia Caesaris iussa, etiam in repu-
diando Epo Caminen. coniugato, neque raso, neque uncto,
tamen reliqua dioeceseos eius provinciam nullam
id comprobatura videmus. Etsi susurrari audio
ab aliquibus id agi, ut Iulius ille vester successor
fiat Caminensis Episcopus, forte Marchionum vici-
norum studio et consilio, ut vel sic Pomeranis
religionis novi aliquid adferant. Quod deum opt.
Max. precor ut prohibeat. Legi avidissime
scriptum tuum contra Interitum. Nam
Interim et interitum nihil est discriminis inter

Interim enim interitus Religionis erit
Dum studet optatam Caesar componere pacem
Interit interea Religionis honor.

Bene Christe, quam rotunde, quam dextre agis hic
omnia, Utinam eiusmodi plura ederes, ut
confundantur ministri Satanae.
Aquilae etiam fortitudinem laudo in reprobando Islebio,
Cui si quid postea etiam ediderit, obsecro communicetis

~~[illegible]~~

nobis. Philippi mollitiem seu malis philo-
sophiam, Pomerani autem, Crucigeri et Maioris
aliorumque silentium et dissimulationem demiror et
odi. Miror quod tu Amsdorphi non admones eos
officii sui, qui prolixe tibi olim dediti erant rebus
secundis, Obsecro V. humanitatem rescribere digne-
mini, ~~Nam~~ Nam tabellarius hic a vobis huc
post dies paucos redibit. Est enim aulicus noster.
Communicate nobis quid spei habeatis de liberatione
sanctissimi Electoris nostri, et quid iudices de nuptiis
illis Torgensibus proximis.
Saluta mihi amanter notos et amicos, D. Pontanum
M. Io. Aurifabrum. M. Martinum Gerlin, Doc. Tile-
lebium affinem tuum, D. Basilium, Magistrum Franciscum
Doc. Medicum etsi forte ignotum.
Optime ac feliciter Vale, Scriptis die Veneris
xv Martii. 1548 Stetini.

V. Georgius Curio d.